FRANCISCUS ✠ EPISCOPUS Servus Servorum Dei

Venerabili Fratri Josepho Cobo Cano, hactenus Episcopo titulo Biatiensi et Auxiliari archidioecesis Matritensis, eiusdem Archiepiscopo Metropolitae nominato, salutem et Benedictionem.

Familia inter familias, Ecclesia etiam domus ianuas habens patentes, quia et mater est, quae serviens exit domui, de suis templis sacrariisque ad hominum vitam comitandam, spem sustinendam, unitatis signum agendum et reconciliationem seminandam (cfr Fratres omnes 276). Tanta igitur apostolica pulsi navitate, paterna dilectione ad spirituales necessitates mentem flectimus gregis Matritensis, qui post renuntiationem postremi sacrorum Antistitis sui, Venerabilis Fratris Nostri Caroli S.R.E. Cardinalis Osoro Sierra, suum exspectat Pastorem. De te ergo, Venerabilis Frater, cogitavimus, qui, pastorali in officio tuo Auxiliaris in eadem archidioecesi exercendo, spiritualibus una et humanis dotibus ornatus viderís, quae aptum te efficiunt ad hoc novum munus explendum. Proinde, de consilio Dicasterii pro Episcopis, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, superioris titularis Ecclesiae vinculo atque Auxiliaris munere resolutis te Archiepiscopum Matritensem constituimus, debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus huic adnexis officio. Hoc de Nostro decreto edoceas volumus clerum et populum huius ecclesialis communitatis, quos exhortamur, ut te patrem, magistrum custodemque animarum accipiant.

Pleniora haec officia tibi commendantes, Venerabilis Frater, Deum exoramus, qui, Beata Maria Virgine de la Almudena intercedente, vota tua et supplicantis huius dilecti populi ineffabili sua caritate prosequatur, ut et signa temporum perscrutemini eademque sub Evangelii luce interpretemini, misericordiae dominicae firmiter adhaerentes. Datum Romae, Laterani, die duodecimo mensis Junii, anno Domini bismillesimo vicesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Franciscus

Guillelmus Stella, Prot. Apost.